

Universitätsbibliothek Wuppertal

**DIONYSII || LAMBINI MON-||STROLIENSIS RE-||GII
PROFESSORIS,|| IN || Q. HORATIVM FLACCVM EX FIDE
ATQVE || AVCTORITATE COMPLVRIVM LIBRORVM
MANV-||scriptorum à se emendatum, et aliquoties
recogni-||tum, ...**

Horatius Flaccus, Quintus

Frankfurt/Main, 1577

Ode 1: Ad Mæcenatem

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1066)

Ode 1.

Ait se cum eo ad bellum Aëtiacum proficiscente, ire velle.



LIBURNIS inter alta nauium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
Quid nos? quibus te vita sit superstite
Iucunda: si contrà grauis?
Vtrúmne iussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet

B Qua ferre non molleis viros?
Feremus: & te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel Occidentis vsq; ad vltimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuueni meo,
Imbellis, ac firmus parum.
Comes minore sum futurus in metu:
Qui maior absenteis habet.
Vt às idens implumibus pullis auis
Serpentium allapsus timet:
Magis, relictis: non, vt adsit, auxilli
Latura plus presentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
C Bellum in tuae spem gratia:
Non vt iuuenis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:
Pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascua:
Nec, vt superni villa candens Tusculi
Circea tangat mœnia.
Satis, superq; me benignitas tua
Ditauit. haud par auero, (mam:
Quod aut, auarus vt Chremes, terra pre
Discinctus aut perdam vt nepos.

LIBURNIS] nauibus sic dictis à Liburnorum gente: de qua Veget. lib. 4. cap. 28. & tribus deinceps sequentibus cap. vide Od. 3. 2. lib. 1. Nauibus igitur Liburnis, quæ sunt aliquanto triremibus humiliores, ibi inter altas & magnas triremes, ac nauis rostratas. fortasse Antonianas significat. Nā

Cæsariæ humiliores erant, vt narrat Plutarch. in Anton. & Dion. lib. 30. sed alij per alta nauium propugnacula, turres, quæ erant in nauibus Cæsaris, aut etiam ipsas Cæsaris naues, quæ turritæ erant, significari volunt: quorum sententiam confirmat Seruius ad hunc Virg. locū li. 8. Æn. extr. Vnā omnes ruere, ac totū spumare reductis conuulsū remis, rostrisq; tridentibus equor. Alta petunt pelago. credas innare reuulsas Cycladas, aut monteis concurrere mōtib. altis. Tanta mole viri turritis puppibus instant. ad quæ verba notat: hoc de historia traxit. Nā Agrippa primus hoc genus turriū inuenit, vt de tabulatis subito erigerentur. simul ac ventū esset in præliū, turres hostibus improvisæ. Accedit Prudentius, cuius sunt hiversus. Fluctibus Aëtiacis signū symphonia belli Ægypto dederat: clangebat buccina contrà. Insiterat te nnes cymba, fragilesq; phaseli Inter turritas Memphiticæ rostra Liburnas. Ego suum cuiq; iudiciū liberū relinquo: sed tamen mouet me Plutarchus, qui nauis Antonianas longè Cæsarianis altiores fuisse narrat: mouet & Dion: apud quem sic Antonius ad milites. ὁ εἶπε γὰρ πρὸς αὐτοὺς καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὸ πάχος τῶν ἡμιτέρων σκαφῶν. ὡς εἰ καὶ τὸν ἀεὶ μὲν ἰσοπαλεῖς αὐταῖς ἐκείναι ἦσαν: ἀλλ' ὑπὸ γε τέτρωι ἐδὲν αὐτῆς εἰς ἐμβολαῖς, ἔτε τῆς πρὸς ἐμβολαῖς ἐκακώρησαν. τὸ μὲν ἡ παχύτες τῶν ξύλων, τὸ δὲ αὐτὸ τὸ ὑψὸς τῶν νεῶν, καὶ εἰ μὴ δὲ αὐτῶν ἡμιτέρο, πάντως ἀνέπερε. καὶ δὲ δὴ καὶ τῶν νεῶν, καὶ σπενδομητῶν ποσῶν ὅτι πλεόντων καὶ πρὸς ἐπὶ καὶ δὲ τῶν πύργων αὐτῶν ἐφικνεμένων, δαῖησεται πρὸς σπῆσι πρὸς ἐμῆσαι, εἰδὲ δὴ καὶ πληροσισασιέ τις, πῶς μὲν αὐτῶν ὑπὸ αὐτῶν τῶν πλήθους τῶν νεῶν βασιλεύειν, πῶς δ' ἔκ αὐτῶν πάντων τῶν τε δὲ τῶν καταστροφῶν, καὶ τῶν δὲ τῶν πύργων βαλλόμενος καταποντωθεῖν, id est, Videtis enim etiā ipsi & magnitudinem, & crassitudinē nauium nostrarū. Itaq; etiā si Cæsaris naues nostris numero essent æquales, attamen propter hæc neq; incursionibus, neq; eminuis pugnando nostris nocere possent. Nā ab incursionibus signorū crassitudo, a telorum iactū defenderet eas altitudo, etiā si nemo ab eis hostem repelleret. Nunc autem cum tot sagittarij, & funditores in eis nauigent, & præterea ex turribus è loco superiore tela iacere, & impetum hostium arcere possint, poteritne quisquam illorū nobiscum congregari, & ad

A *Et ad naucis nostras accedere? Quod si quis accesserit, nonne multitudine remorum obruetur? nonne et de nauium nostrarum tabulatis et de turribus iaculis appetitus, merfabitur?* Adde quod Vegetius lib. 4. cap. 33. & 34. ubi de Liburnis scribit, nullum verbum de earum altitudine, aut turribus facit, quod verisimile non est, praeteriturum fuisse, si verum esset, quod isti dicunt. Postremo L. Annaeus Florus, seu L. Annaeus Seneca in Epitoma rerum Romanae. T. L. Liui perpicue Turnebi sententiam refellit, his verbis *Nobis quadringenta amplius naues: ducenta non minus hostibus: sed numerum magnitudo pensabat: quippe a senis in nouenos remorum ordinibus: ad hoc turribus atq; tabulatis sublata castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur. qua quidem ipsa moles illis exitio fuit.* sed ne Plutarchi quidem verba omittenda sunt in Antonio, *δυσαναρχοῦ πῶτες οἱ Ἀντωνίου πρὸς τὴν διαβίην, καὶ πῶς ὑψέει, καὶ μαγέθει τῶν οἰκείων νεῶν πεπιθότες, αἰς ἀπεσομαχίαις, τὸ ἐναντιοῦν ἐκίνησαν:* id est, agere ferentes autem Antoniani moram, & altitudinibus, ac magnitudinibus nauium suarum confisi, sinistrum cornu mouerunt. Aduuant me & ea, quae apud eundem paucis post versibus sequuntur, ubi dicit *τετραμαχίαν* verius fuisse, id est, pugnam è muris, quam pugnam naualem, cum Antoniani è nauibus suis, tanquam è muro, pugnarent.

AMICE] *o amice Mæcenas. neque est quod quisquam dicat non conuenire pudori Horatij, Mæcenatem amicum appellare: Nam Horatius erat amicus inferior, Mæcenas, potentior, Saty. 6. lib. 1. Dissimile hoc illi est: quia non ut forsitan honorem Iure mihi inuideat quiuis, ita te quoq; amicum ibidem, felicem dicere non hoc Me possim casu, quod te sortitus amicum.* Od. 20. li. 1. *Care Mæcenas.* Od. 18. lib. 2. *nec potentem amicum Largiora flagito.*

SVBIRE] excipere, ἀναδέχεσθαι, sufferre.
SI CONTRA] metibisuperstite.

VTVMNE IVSSI] *utrum nos, quos manere, & quiescere iubes, otiamimur, vitam iniucundam victuri, nisi tecum viuamus?*

C AN HVNC LABOREM MENTE LATURI, &c.] *an hunc militiae laborem laturi sumus eam mente, eoque animo, quo viros fortes, & patientes laborum ferre decet? subaudi verbum sumus, ut sit, laturi sumus. vel, quod minus probo, repete ἀπό κοινῆς persequemur. legendum autem qua, non quem.*

NON MOLLEIS] id est, patientes & tolerantis laborum, quos Graeci καρτερικὸς appellant μαλακοῖς contrarios.

FEREMVS] sibi ipse respondet.

INHOSPITALEM] ἀξενον. sic sup. Od. 22. li. 1. *Sine facturus per inhospitalem Caucasum.*

ROGES] *quaras fortasse, quid ego tibi sim comes profuturus, qui neque admodum sim bellicosus, neque valde robusto corpore.*

IMBELLIS, AC FIRM. P.] ἀπόλεμος καὶ ἀναλλης.

COMES] respondet superiori tacitae quaestioni hoc modo. si tecum proficiscar: multo minus sollicitus sum futurus, quam si maneam, & à te absim.

VT ASSIDENS IMPLVM. &c.] id est, quemadmodum auis pullis implumibus assidens, atque accubans, serpentium illa quidem insidias & impetus extimescit: sed multo magis tamen timet absens, cum scilicet pullos suos reliquit. Tali similitudine vitatur Theocritus. eid. κς. quod inscribitur Μέλαρα. *Ὡς δὲ τ' ὀδύρεται ὄρνις ὅττι σφετέροισι νεοσσῶσι Ὀλυμμένους, ἔς τ' αἰνὸς ὄφιν ἐπιπηλάχοντες, Θάμνοις ἐν πυκνοῖσι κατεδίει. ἢ δὲ κατ' αὐτὴν Παυτῆται, καλῆστα μάλα λιγυρῶν ποτνια μήτηρ, οὐδ' ἀρ' ἔχει τέκνοισιν ἐπαρκέσαι. ἢ γὰρ οἱ αὐτῆ Ἄσπον ἦσαν, μέλα τέκος ἀμειλίχιστο πηλάρο, Ὡς ἔρπ, &c.* id est, Quemadmodum autem ingemiscit auis pullis suis pereuntibus, quos horribilis serpens in damis densis deuorat: Illa autem circum eos volat vociferans valde clarè eorum mater: neq; tamen exitiū à pullis suis depellere potest, re vera enim valde metuit propius accedere ad implacidam beluam. Sic ego, &c. nec admodum discrepant illa Oppiani lib. quinto ἀλευτ. *Ὡς δ' ὅπῳ ὄρταλιχοῖσι χελιδόσι ηπιλάχοισι Νέρθεν ἴσῳ ἔξ ὀράφοιο τοζῶν ὄφιν ἀγχι πελάσση. Καί τις μὲν κατέπεφνε, καὶ ἔσασσεν ἐνδον ὀδόντων. Μήτηρ δὲ πρὸς πον μὲν ἀποζομένη πεπύτηται Λοῖγια τεπεργυῖα φόνος, γοοῖ, ἀλλ' ὅτε πῶδας Ἀθροῖσι φθιμίνας, ἢ δ' ἐκ ἐπιφύξιν ὀλέθρου Δίξεται, ἀλλ' αὐτῆσιν ἴσῳ αἰ γένυσοσι θράκοντος Εἰλεῖται, μέσφ' ὄρνι ἐλη παιδοκτόνος ἄτη. Ὡς ἄρα, &c.* id est, Quemadmodum autem cum ad hiruindines implumeis et paruas serpens forte sub teeto propius accessit: et eas quidem interemit, ac dentibus discepit: mater primum quidem pauens circumuolat, deplorans cadem pullorum suorum: Cum autem eos interire videt, non amplius exitij fugam querit, sed circum maxillas ipsas serpentis versatur, donec eam iactura pullorum interfectorum in perniciem traxerit: Sic, &c. Neque verò admodum dissimilis est illa comparatio ducta à cerua apud Hom. ἰλ. λ. *Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο παχίης ἠπτα τέκνα Ρηιδίως ξυνέειξε λαβῶν κραπρόσιν ὀδῶσιν Ἐλλῶν εἰς ἐνὺλῶ ἀπαλόν τι σφ' ἠπτορ ἀπῆυσε: Ἡ δ' εἴπερ τι πύχιοι μέλα σζέδον, ἔδωαται σφιν Χερσισμῆιν. αὐτὴν γὰρ ἴσῳ τρέμμος αἰνὸς ἰχάνει, Καρπαλίμως δ' ἠῆξε διὰ δρυμῶ ποναῶ καὶ ὕλλω Σπύδουσα, ἰδρωῖσσι κραταῖθ θηρός ὑφ' ὀρμῆς: Ὡς ἄρα, &c.* id est, Ut leo ceruae celeris paruos inulos facile confregit dentibus correptos, cum ad eorū cubile iuerit: teneramque eis animam abstulit: illa autem etiamsi valde prope adsit, non tamen eis opitulari potest. eam enim tremor grauis occupat: Continuo autem gradum corripit per densa dumeta, & siluam properans, sudans propter valida bestiae impetum: Sic, &c.

NON, VT ADSIT, AVXIL] id est, quae, quamuis adsit, plus auxilij non est latura praesentibus, quam relictis. in quibusdam libris calamo exaratis scriptum reperi, *Non uti sit auxill Latura, &c.* quorum verborum hic sensus est, Non quo sit plus auxilij latura praesentibus, subintell. quam, &c. ego tamen priorem scripturam malo.

MILITABITUR BELLVM] tale est hoc, militabitur bellum, qualia illa, bella pugnata, & rura regnata. de quibus vide ad Od. 6. lib. 2. ego (inquit) totius huius belli laborem ac periculum subibo ac perferam, nulla abs te sperata mercede, nulloque premio expectato: sed tua erga me beneuolentiae retinenda studio & spe ductus.

NON,

A NON, VT IUVENCIS, &c.] id est, non vt plura agri iugera possideam.

ARATRA NIT. M.] Quidam libri veteres habent *Aratra nitantur mea.*

PECUSVE CALABRIS ANTE SIDVS &c.] aut vt pecus meum pascuis Calabris paullo ante Caniculam relictis, quæ post ortum Caniculæ nio solis ardore sunt torrida, in Lucaniam, quæ temperatior est, transferatur. sic epist. 2. lib. 2. *Quid vici prosunt, & horrea, quidve Calabris Saltibus adiecti Lucani: si mei Orcus, &c.* hæc eò pertinent, quòd quibus magni pecudum greges erant, ij saltus hibernos & æstivos habebant, in quibus pascebantur pecora.

LVCANA MVT. PASCVA] pascuis habent complures cod. veteres. in his tres Vatic. & Tornel. Ruffard. Nicotiani duo: quam scripturam non rejicio.

NEC, VT SVPERNI VILLA] supernum Tusculum idèd dixit, quia in colle situm est. Strabon. lib. 5. sup. Od. 29. lib. 3. *Telegoni iuga patricidae.* nec (inquit Horatius) vt villa mei fundi Tusculani perueniat, & producatur vsque ad mœnia Circeæ. ὑπερβονικὸς dictum est, ad exprimendam ædificij magnitudinem, magnificentiam, atque amplitudinem.

BENIGNITAS TVA] liberalitas & munificentia tua, vt docuimus sup. ad Od. 17. lib. 1.

HAVD PARAV. QVOD AVT AVAR.] nolim parauisse, quod aut defodiam & condam in terra auarorum more, qui bonis quæ sitis parant vt sacris, aut profundâ vt luxuriosus nepos.

DISCINCTVS] dissolutus, luxuriosus, intemperans. nam discingi fere mollitiem & turpitudinem quandam significat. Itaque turpe erat Romanis illis veteribus in publicum prodire discinctos. vnde prouerbium *discincta vestis, discinctus animus.* Seruius ad illum Virgil. locum *discinctos Mulciber Afros:* notat *vel habitum eorum ostendit, qui vsque ad talos fluebat: quod Plantus in Pœnulo ridet, his verbis, Que est illa anis? cum Afrum vidisset vestem demissam trabentem: vel discinctos dixit, militia inhabileis. omnes enim, qui militant, cincti sunt, alioqui inefficaces: vt contra præcinctos strenuos dicimus.* Horatius. *Hoc iter ignaui diuisimus alius ac nos, Præcinctis, vnum.* Vnde Græce ὑπερβονικὸς appellatur non qui habet bonam Zonam, sed qui strenuus est, & expeditus ad iter faciendum, aut aliquid agendum. Hactenus Seruius. Horat. Saty. 2. lib. 1. *Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo.* discinctus tamè aliquando etiâ accipitur pro eo, qui remissiore & liberiore quidè interdū victu, ac ludo, vitæ quotidianæ feueritatem leuat ac temperat: verum sine flagitio & turpitudine, vt sat. 1. lib. 1. *Nugarium illo, & discincti ludere, donec Decoqueretur olus.* NEPOS] nepos præter vulgatam significationem, profusum & perditum hominem significat, quem Græci ἀσώτῳ nominant. *Nepotes* (inquit Paullus in epitome Festi) *luxuriosa vitæ homines appellati, quòd non magis his rei suæ familiaris cura est, quam ijs, quibus pater, auusque viuunt.* Horat. sat. 8. lib. 1. *Pantolaboscurra, Nomentanòque nepoti.* epist. ad Vallam,

Scilicet vt ventres lamna candente nepotum Diceret vrendos. sat. 4. lib. 1. *quòd meretrico nepos insanit amica Filius.* al. infans, &c.

VITÆ RVSTICÆ

Laudes. Ode 2.

BEatus ille, qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet suis,
Solutus omni fenore:
Neque excitatur classico miles truci:
Neque horret iratum mare:
Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat erranteis greges:
Inutileisque falce ramos amputans,
Feliciores inserit:
Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infirmas oueis:
Vel, cum decòrum mitibus pomis caput
Auctunus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pira:
Certantem & vuam purpuræ:
Qua muneretur te, Priape, & te pater
Siluane, tutor finium.
Libet iacere modò sub antiqua ilice:
Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in siluis aues:
Fontesq; lymphis obstrepunt manatibus,
Somnos quod inuitet leueis.
At, cum tonantis annus hibernus Iouis
Imbreis, niueisque comparat:
Aut trudit acreis hinc & hinc multa
cane
Apros in obstanteis plagas:
Aut amite læui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pavidumque leporem, & aduenam laqueo gruem,